

Christi Domini, & materiam eiusdem, ac utramque simul sibi
venire; in quo casu anima est a Deo, & simul in Deo ob unionem,
non idcirco tamen generata est; quia Deus respectu eius, & si
sit id a quo, & id in quo, nullo modo est id ex quo; cum ergo
non explicit modum generationis formae ipsorum, & illum
suis sophysmatibus inintelligibilem reddant, ita inintelligibili-
lem reddunt eorum formam, & materiam, atque adeo, illam
esse veluti ens chymericum, quod non datur nisi in intellectu
illud fingente.

29 Dicunt etiam alij Aristotelis defensores, quod in physica
generatione generatur forma, non ut ens est, sed ut tale ens;
quia dicunt isti, natura non fertur per se in productionem eius,
quod iam erat in materia, sed in id, quod nondum erat pro-
ductum, quia si ens ut ens fieret, non deberet praecedere ens,
atque ita ex nihilo res fieret, quod impossibile est in casu no-
stro; at cum non fiat ens ut ens, sed ens hoc vel illud, satis est
praecedere aliquod non ens, videlicet illud, quod effici debet, li-
cet hoc non ens revera aliud ens sit; vnde ego sic discurro: si
forma Aristotelis non fit ut ens est; ergo ipsa, quatenus ipsa,
non fit, quia ipsa est essentialiter ens, & ut talis non fit, aut non
generatur, nec fit ut hoc vel illud ens, sed hoc vel illud ens est
per illam tamquam per causam formalem, materia utique est
[si datur] hoc vel illud ens, seu fit hoc vel illud ens; vnde se-
quitur formam non esse ens; si secundum se praeceps sumatur, &
scorsim a materia, quae sola cum creata sit, facta est ut ens, etiam
sola fit tale ens; ergo vel forma non datur, vel non generatur,
sed creatur.

30 Ergo, dicent ipsi peripatetici, per me non dabitur gene-
ratio substantialis, sed ad summum mistio, siue alteratio conce-
denda erit; at hoc esse non potest, quia mixtum non est ex par-
tibus homogeneis, sed etherogenis.

Respondeo, falsam esse sequelam; quia mixtio, & generatio
idei sonant, & sunt; putant namque aristotelici, quod elemen-
ta mea omnium rerum prima principia, ut postquam vniuntur,
siue in compositione totius veniunt, non inaneant formaliter in
mixto, sed solum virtualiter, quod falsum est, sunt namque
vera, & realia prima principia illa ab Aristotele definita primo
physicorum cap. 5. nempe illa, quae nec ex se se vicissim sunt,
nec ex alijs, & ex ipsis omnia, ipsa namque sunt ingenerabilia
& incorruptibilia, sunt enim materia prima omnium mixtorum,